

XXVI
AUGUSTI BUCHNERI
O R A T I O
de Principatu Galbæ.
habita
cum in i. Histor. C. C. TACITE
eam partem absolvisset.



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDG XXXX.

AUGUSTI RODONERI

OPERA

de Principiis Geographia

Cum ad H. H. G. C. TAGITI

Cum Prologio

CERTA

WITZELIC

Я. И. Н. О. Г. С. И. А. Н. О. Г. С. И.

А. М. К. К. К. К.



*GENEROSO, MAGNIFICO AC
SUMMO VIRO,*

Dn. FRIDERICO à METSCH
in Frisen & Reichenbach &c.

Sereniss. Electoris Saxoniae
Consiliario, & in Ecclesiastico Senatu

PRÆSIDI;

PATRONO CERTISSIMO OPTIMO QVE,

Augustus Buchnerus

ex officio

D. D. C. L.

40

Clio



Vm id agas, PRÆSES AMPLISSIME, auspi-
cio Principis, ut nostra omnium,
qui hic docemus publice, inspi-
cias studia, private caussæ alle-
ganda non sunt, cur dissertationum-
culam istam tuo auspicatissimo
nomine prescripserim. Itaque
quantum tibi debeam, narrabo ali-
bi potius. Nam neque hic, nec uspiam alias expungam.
Tanta enim tua in me merita sunt, ut nec depredicare sa-
tis, multò minus autem dignare pro illis gratiam repende-
re ullo tempore possim. Quamquam tu eā magnitudine
animi es, ut bonitatem tuam non locare, sed præstare
soleas: & bene mereri de ingeniis non alia caussa,
quam quatenus publice interest: pulcherrimum operæ
premium in sola conscientia ponens; quam multi hodie
post famam atque divitias habent. Novus hic conatus
noster est, & ut non nemini videri poterat, audacior
paullò; itaque Tibi ante omnia vel probandus fuit, vel
excusandus. Quod si candidiorem calculum auferet, Otho
fortassis atque Vitellius, & ille felicissimus ac frugi ma-
xime Imperator Vespasianus ad istam faciem de Tacito
expressi in publico comparebunt. Qui jam in insidiis
latent veluti, & Antecessoris speculantur fortunam. Ut,
si dimissus probatusq; fuerit, & ipsi prosultent, ausi de se
illius exemplo bene sperare. Non adeò demens sum,
PRÆSES AMPLISSIME, ut mihi hic nescio quid
errorem: aut me cum maximis viris committere velim,
qui

qui hactenus ad prudentissimum Scriptorem dissertationes dederunt. Insanirem profecto, si facerem: putavi tamen non plane circa literarum apices & verborum angustias, cum explicarem nuper auctorem maximum, mihi haren- dum esse. Saltem ut viam ostenderem, quā contendendū felicioribus ingeniis, que in Historicorum Lectione recte velint versari. Quo solo fortassis nomine patroci- nium tuum impetrabit libellus noster, quem nunc serenā, & quā Buchnerum ipsum olim admittere frōnre solitus, sus- cipias, etiam atque etiam abs te peto.

A 3 Augu-



AUGUSTI BUCHNERI
ORATIO
de principatu Galbæ.



Mens si sumus Prin-
cipatum Galbæ, Auditores
Nobilissimi ac Ornatisimi,
vidimusque, quibus au-
spiciis intrarit urbem novus
Princeps: qvem se gesserit in imperio:
qvem erga milites, populum, amicos.
Quo consilio ac successu adoptarit Piso-
nem: qvem mox cum filio ac destinato ne-
qvicquam successore invenerit finem. Fe-
ralem illum, ac planè cruentum. Quo
fermè ad Cereris generum descendere
Reges ac tyrannos, non frustra, opinor,
Satyricus monet. Hæc, inquam, vidi-
mus, hæc audivimus, exponente eo, qvo
nemo gravius, nemo verius, addo & pru-
dentius

dentius posset; C. CORNELIO TACITUS, nunquam, ut verè judicavit Sollius, sine laude loquendo. Et testor fidem vestram, JUVENES LECTISSIMI, annon sobria illa & gravis, illa robusta & plena nervis oratio, quæ in nostro regnat, & omnes ineptias Sophistarum, omnem, ut ita dicam, plebeitatem procul habet, tota virilis ac generosa, summæ & oblectationi vobis, & admirationi fuit? Me quidem ita cepit, & sensibus imis, ut sæpè ante, demorata est, ut adhuc maiestate suâ implere aures, & tubæ Martiæ instar clangore suo circumsonare animum & excitare videatur. Neque enim inane quiddam, aut molle tinnire solet: ut cum denulserit aures leviter, evanescat; sed plena sapientiæ, plena optimæ frugis descendit in pectus, pertentatque animum, ubique stimulus, ubique reverentiam sui relinquens. Nam quos per omne narrationis textum divi-

nos



nos sensus spargit? qvas utilissimas passim
præceptiones interferit; callidè quidem,
& artificio qvodam, ne videatur id agere,
qvod agit? Equidem ita habeo, ALL-
D I T O R E S, ex nullo alio scriptore
Historico verius atque uberius, o-
mnes aularum artes, omnem regno-
rum scientiam hauriri, qvam ex Tacito
nostro posse, vivo illo ac perenni o-
mnis civilis & militaris prudentiæ fonte.
Ult non mirandum sit, eum jam olim à Vi-
ris Principibus unum legi, unum æstima-
ri, unum haberi dignum, in quo post
Remp. remissiones suas ponant, & inde
instructiores ad negotia revertant. Sed
nobis nunc qvidem propositum non est,
summi Auctoris laudes perseqvi. Alio
tempore id factum à nobis: fietqve inpo-
sterum, qvoties erit necesse. Sed nunc
in principatu Galbæ (hanc enim partem
absolvimus) ecqvid notandum præcipue
ac observandum nobis putabimus? Quid
aliud,



aliud, quam quod in suo Dione NEPOS di-
vinè monuit, nullum esse imperium tutum,
nisi benevolentia munitum. Veram vocem,
& saluberrimum monitum; quod utinam
omnes Principes ac Reges ubique & scri-
ptum parietibus, & intextum auleis le-
gant, cogitent, commententur assidue
secum ac volvant. Neque enim ulla vis-
tam obsequentes atque morigeros homi-
nes, quam benevolentia facit. Quæ non,
ut illa, corpora tantum; sed animos ipsos
subigit ac vincit. Qui certè quamdiu non
parent, aversiq; ac alieni sunt, infidum o-
mne est, quicquid obsequii in speciem
præstatur. Sed trianī fallor sunt, *Auditio-*
res, quibus amorem ac benevolentiam
civium sibi potissimum comparet Prin-
ceps. Nam primò necesse est lenis cle-
mensque sit, nec summo semper utatur
jure; sed laxet interdum habenas, & quæ-
dam dissimulet, quedam ignoscat. Non
ut adulectur malis moribus, & soyeat vitiis;

B

sed

sed ut publicè prospicit. In quem scopum
collimare principem semper oportet.
Nam Medici quoque sæpè proficiunt ma-
gis, cùm leniter tractant morbos, & in-
dulgent ægrotis nonnulla, velutq; conso-
nivent; quam cùm cauteriis agunt rem,
aut alia instrumenta adhibent officiosæ
crudelitatis.

Qui vult amari, languida regnet manu.
Et certè qui ad summum jus exigit omnia,
injustus quodammodo; nec tam studere
communi bono, quam suo unius obse-
qui animo, & frui pœni existimatur. Quo
fit, ut non minus benevolentia civium ex-
cidat, quam non amari a liberis pater so-
let, qui nihil unquam connivet erranti-
bus, nihil indulget veniæ, & semper ver-
beribus ac flagris sœvit. Quæ res non cor-
rigit & emendat liberos, sed plane ever-
tit. Nam desperare penitus facit. Quo-
circa & ille Terentianus Chremes vici-
num Menedemum corripit, quasi nullâ
aliam

alia causa perdiderit filium, quam quod
duro nimis adversus eum & aspero inge-
nio usus; nec ullum ei concessisset ludum,
quo ea ætas alias se oblectare soleat.

Tu illum, inquit, nunquam ostendisti quanti penderes:

Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquum patri.

Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.

Evidem quas in domo pater, eas in Rep. partes princeps gerit. Qui idcirco civibus aliquando ignoscet nonnulla: nec semper utetur suo jure, sed remittet per tempus aliquid, ut ad amandum invitet suos, dum se ostendit amare. Itaque & affabilem se communemq; præbebit; & deferentium necessitates non modò comiter audiet, sed & benignè solabitur, ac benè jubebit sperare. Sedulô cavens, ne quemquam temerè à se tristiorum, quam venerit, dimittat. Fastidimur plerumq; fastidiendo, & nunquam superbia odio vacat. Posthæc enixè contendet Princeps, ut justè administret imperium, ple-

B 2

ctendo



Atendo pro meritis imprebos, bonos probosque conservando. Nam indulgere omnibus omnia, non boni ac clementis est, sed ignavi ac segnis. Itaque sanctitatem legum asseret, non modo in aliis, sed in seipso quoque. Non quod alligatus iis sit, sed ut exemplo sit, posse fieri, quæ præcepit. Nunquam profecto obser vantior æqui populusest, ac ad parendum promptior, quam cum auctorem sibi parere videt.

componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis

Poëta ait. Imò maximus Imperator apud Poetam. Et eo aliquid verius nullum oraculum proferre queat. Neque vero abstinebit tantum ab injuriâ, & nemini gravis Princeps ipse erit, sed & ministros tales esse coget. Qui quicquid egerint, ejus, vel gloria, vel invidia, in dominum redit. Egregiè Augustus: *Pietate atq[ue] justitiâ Principes Dii sunt.* Nempe cum pietate



pietatem dicit, clementiam ac bonitatem
intelligit: a qua & Antoninus cognomen
invenit. Quae sicut allicit animos, & ad a-
mandum invitat; ita lædere neminem, &
suum cuique tribuere, venerabilem ac
sanctum facit. Quibus potissimum rebus
homines Dii fiunt. Miltiaden Corn. Ne-
pos refert, cum depulisset hostes Cherso-
neso, domum fixisse inibi, atque fuisse po-
testate regiae, quamvis nomine careret.
Magnum profecto & singulare elegan-
tissimus narraret auctor, nisi majestatem
principi ac vim, justitiae magis studium,
quam coronæ & sceptra & cætera invidi-
osæ potestatis insignia conciliarent. Et ea
mirificè præstitisse Cimonis prolem ipse
testatur. Nam statim subjicit: neque id
magis imperio, quam justitia consecutus.
Et paullò ante monuerat, Miltiaden com-
potitum victoriâ summâ aequitate res
Chersonesi constituisse. Hinc igitur
amore ei, hinc reverentia crevit. Ut mal-



lent subesse, qui sua virtute magis, quam
nomine dignitatē Regis complectetur.
Cujus præcipuè est, benemereri de suis.
Nam sicut parentes, ita & Reges, bonitas
magis, quam necessitas facit. Postremò
necessse est, ut liberalitatem exerceat Re-
Etor Populi, nec parcat sumtibus ac im-
pensis, unde vel promoveri Reip. com-
moda tam pacis quam belli tempore; vel
viri magni ac clari & honorari ob nava-
tam operam, & ad egregias ac publicè
profuturas res accendi queant. Pauci gra-
tis boni sunt; & torpent ferè jacentque
ingenia, quæ negliguntur. At nunquam
contrà magis florent artes bonæ, virtu-
tumq; studia, quam ubi sunt, qui & æsti-
mant rectè, & sovent benignè, quæ æsti-
marint. Contemtis nec opera ponitur,
& odium fermè hærere solet, quod Reip.
ruinam trahit. Nemo autem unquam
amet, qui suas unius utilitates curet, ci-
yium negligat: imò evertat comunem
rem,

191

rem, ut suas privatim confirmet opes, in
bonos parcus ac negligens, solis sceleribus
profusus. Talem profectò tam omni be-
nevolentiam destitui oportet, quam ipse
nullam in se beneficiendi voluntatem ha-
bet, quæ causa amoris & nutrimentum.
Marce, ut ameris ama, Poeta amicum
monet. Si fas sit, ego idem Principes ac
Reges. Qui nisi amabiles ipsi sint, frustra
ab aliis cupiant amari. Nec est amabilis,
nisi benesicuſ & bonus. Hoc illud phil-
trum, illud verissimum amatorium est,
consulere omnibus, publiceque prodesse.
Quod omni medicamento & herba, o-
mni veneficæ carmine efficacius obligat
animos, impellitq; ac agit, & velut sacro
furore implet. Apud idoneos auctores
legimus, Titum, Vespasiani filium, qui
solus principum in melius mutatus, AMO-
REM ATQUE DELICIAS HUMANI GENE-
RIS, novo & inusitato honore, (quem
tamen longè majorem censeo, quam si
vel



vel Parthicum, vel Germanicum dixi-
sent) appellatum. Non aliâ caussa, quam
quod benevolentissimus naturâ id obsti-
natè teneret, ne quemquam fine spe bo-
nâ dimitteret, atque vel ultrò sese offer-
ret petentibus, eosque adhortaretur, ro-
garent, quæ vellent, & quibus esset opus.
Ita enim existimabat, nihil magis dignum
personâ principis, quam plurimis prodes-
se. Usque adeò, ut cum se aliquando
nihil cuiquam præstitisse esset recorda-
tus, non imperasse illo die, & totum per-
didisse, egregiâ atque in omne ævum me-
morabili voce professus sit. Nam & di-
vina natura hac laude censetur cum ma-
ximè, quod prospicit omnibus, & dilar-
gitur liberabiliter, quidquid non modo
necessitates vitæ sublevat, sed eam quo-
que jucundam & gratam facit. Hæc sunt,
Lectissimi Luvenes, quibus studere Princi-
pem cum primis oportet, qui colivit at-
que amari à suis. **Quæ tam neglexit**
Galba

Galba (ad eum enim nunc redeundum
est) quam prædecessor ejus affectavit
primis imperii annis, quibus, ipsius Tra-
jani judicio, omnes retrò Principes su-
peravit. Ita enim de Nerone illustris
auctor : *Atq; ut certiorem, inquit, adhuc
ostenderet indolem, ex Augusti prescripto
imperaturum se professus, neq; liberalitatis,
neq; clementiae, nec comitatis quidem exhibe-
benda ullam occasionem omisit.* Erat, ut
videtur, Galba tristiore à natura ingenio,
& factus quidem ad honestatem, sed cum
amaritudine quadam & tetricitate. Quæ
intendebat senectus, per se morosa fermè
atque difficilis. Itaque nihil indulgere
seculo, nihil omnino connivere indoli
temporum, & omnia ad antiqui moris
severitatem exigere, hoc Principis, hoc su-
um existimabat. Parum memor, qui præ-
fuissent hacten, quos in Remp. mores

G

inve-

invexissent exemplo. **Q**ui cum impunitate scelerum, quæ vel jubebant ipsi, vel præibant; cum fœdis largitionibus militem, omnes inertis luxu, & prodigiosis voluptatibus corrupissent diu, quid frugi aut moderatum, ac sobrium in ebriâ & lasciviente turbâ poterat superesse? Et tamen malebat invenire bonos, quam facere; ac in mutata civitate penitus, sancire veterem disciplinam. Hinc prima auspicia principatus à pœnis: & omne iter ac ingressus in urbem feralis ac tristis; interfectis non modò plurimis militum, qui sui oblitio officii, sed & Ducibus quoque. **Q**ui licet meritò visi luere, quæ essent passi; tamen quod inauditi ac indefensi rapti ad pœnam, invidiam movebat, velut denuò profligatâ judiciorum libertate. Quam impotentiâ superiorum principum interceptam se reparatueros

111NC



turos existimabant, & nunc spe suâ dejici
gravius dolebant. Verè enim, non ma-
gnus ille, sed tamen non contemnendus
auctor, *Gravius ledunt, quos mollius con-*
sulturos speserat. Semper quidem expe-
dit Principi habere opinionem bonitatis,
sed id cum primis in regni initiis necesse.
Nam ut tum proni, & in spem maximè
arrecti animi, sic impelli facillimè aut in
amorem aut odium possunt. Hæsuri dein-
ceps, cui incubuerunt. Servat odorem
testafermè, quo imbuta semele est: & ægrè
eluitur, quem lana colorem primum du-
xit. Animi quoque ægrè ponunt affe-
ctum, quem semel sibi induerunt. Unde
nostrī illud est: *In viso semel Principe, seu*
rectè, seu male facta, premunt. Quod certè
in Galba, de quo & dicitur, verissimum
fuit. Jam quamvis ita administraret im-
perium, ut nihil dare videretur pravæ li-

G 2 libi-



bidini, tām alieni abstinenſ, quām parcus
ſui; quantæ tamen invidiæ erat, dum Vi-
nium, dum Laconem, & ne qua deeffet
materia odio, vel Icelum quoque, ex
ſervo Equitem, graſſari pateretur impu-
nè, convertendo ad ſe imperii opes, &
afferendo venalia, post cetera, ſemeti-
pſos, & Principem quoque? Quibus ita
ſe abutendum permiferat ſtultus ſenex,
ut non ministros, aut, quod honestius,
amicos; ſed planè pædagogos (atque id
jactabatur vulgō) haberet. Nam totus
regebatur horum arbitrio, atque vix un-
quam ſibiipſi conſtabat. Assunt plerum-
que potestatibus ex familiaribus delecti,
qui non tām eorum negotia, quām ipſos
regunt: conſiliorum omnium ac arcano-
rum conſcii, & eodem propè in Domi-
nos jure, quo hi in omnes. Qui certè ſi
probi, ſi integri, ſi alieni ambitionis & ava-
ritiæ

ritiæ, & studiosi utilitatis communis
(qualis Augustocum Mecænate Agrrippa
astitit; Neroni Burrhus & Seneca consu-
luerunt) dici non potest, quantum felici-
tatis in Principem pariter & universum
populum inde redundet. At vero si pravi
maliique fuerint, & neque verum sciant,
nec audiant; præterque fallendi & adu-
landi artes nihil teneant amplius, quam
quod corrumpat aut perdat, hoc pro-
pior Princeps erit exitio, quo propiores
libi ipsos habebit. Seu imperitiâ ætatis,
& adolescentiæ lubrico; sive malitiâ ani-
mi: quin & segnitie atque socordiâ, quod
vitium fermè senibus hæret, in quibus
cum corpore, ipse quoque animus ple-
rumque languescit, quod Galbae eve-
vit. In Tigellino enim & Paride, & cæ-
teris aulæ carcinomatis, propudiis gene-
ris humani, juventus Neronis decepta

C 3

simul

simul eversaque est. Quanquam & de
Tiberio fuisset actum ; nisi propria ei
calliditas Sejani scelus prævertisset. Ita
enim comparati fermè tales sunt, ut post-
quam semel professi honestatis odium,
profligare ceperint quicquid uspiam
veri acresti adest, nihil deinceps ad pes-
simorum scelerum famam reliquum.
faciant, atque tam proditores fiant Prin-
cipum, quam corruptores antè fuerunt.
Novissimè fidei prodigi, postquam vir-
tutes cæteras decoixerunt. Sed ad hallu-
cinationes Galbae accedebant & sordes.
Enim verò quod Vinium ceterosque ejus-
dem furoris, agere pateretur ac vertere
omnia, non frigus tantum fessæ ætatis ;
sed & angustia animi, ac illiberalitas erat.
Nam cum relatam gratiam cuperet, qui-
bus debere fortunam summam videba-
tur, ut qui auctores suscipiendi imperii
fuis-

suissent; cæterum parcus & viliter tenax,
divitias condere, quam promere mallet,
permisit ea flagitia potius, quam proba-
vit. Usque adeò contrahit animum, de-
jicitque immoderatum opum studium.
Quod cum in privatis reprehendi soleat,
quantò magis id fugiendum Principi est,
quem famæ ac opinioni cum primis stu-
dere oportet? Sed quā infausta avaritiā
fuerit Galba, inde cummaxime patet,
quod promissum donativum militi vel
contumaciter negaret. Quem aversum
ā se, & alienatum non nesciebat: conci-
liandum tamen, & redigendum ad partes
qualicunque liberalitate. Sed ille legen-
dum, non emendum militem dicebat.
Honestā quidem; cæterum sibi & Rei-
publ. parum utili voce. Nam neque
conveniebat tempori: & cætera in Gal-
bā aliter habebant. Ut in speciem
magis



magis ac avaritiæ tegendæ, quām ad anti-
qui moris sanctitatem videretur prolata.
Quiam frustra ferre præ se existimabant,
cujus inertiam & facilitate non leviora ge-
rerentur quotidie, quām sub Nerone ha-
ctenus pessimi quique expatrassent. Est
quidem connivendum minimè libidini
ac licentiæ militis, qui disciplinâ atque
imperio, quām largitionum illecebris
continendus, oportet tamen interim
necessitati aliquid, aliquid seculi mo-
ribus dare : & semper suprema haben-
dalex est, Reip. Salus. Quam suæ pri-
vatæ gloriæ anteponere, verissima ad
gloriam via. **Q**ua excidit, qui magis tu-
endo proprio decori, quām publicis
commodis studere velit. **Q**uibus egre-
giè certè, & simul saluti suæ consuluisse
Galba, si memor præcepti veteris, pecu-
niā in tempore negligere, maximum
lū-



Iucrum existimasset. Ad istum igitur
modum cum compararet se Gabba, nul-
lisque omnino illecebris amorem ac be-
nevolentiam civium provocaret, non
poterat fieri, quin omnium se exponeret
odio: militum cum primis: quod genus,
ut insolens contumeliæ maximè est,
ita facillimè irritatur, & impotenter de-
inceps furit. Nam quid in rudi, & impe-
rita, & magnam plerunq; partem ex cor-
ruptissimo quoque conflatâ turbâ per-
pensi esse potest? Habet hoc fermè hu-
manum ingenium, ut quem quis odit, pe-
riisse expetat. Sed cæteri operiuntur
occasiones callidè; militaris plebs, quæ
omnia agit impetu, & regere dolorem.
animi non potest, vel ulciscendi tempus
rapit: gaudens cruentis, & juxta prom-
ta, tam vitam adimere aliis, quam im-
pendere suam. Captatrix periculi at-

D que



que discriminis, quo quidem extingue-
re inimicum queat Hinc accidit, ut
quem jampridem miles senectā mor-
bisque invalidum spernere, avarum &
sordidum odisse ceperat, desereret pri-
mō; deinde incautum ac negligentem,
tolleret quoque. Aversus initio, hinc
persidus, postremō impius atque im-
manis. Non contentus polluisse Im-
peratoris sanguine manus, nisi cadave-
ri quoque illuderet, & (quæ summa
impietas) insultaret. Quamquam non
satis video, magisne scelus militum,
an levitatem Principis, stultitiamque
accusem, quā & omilit Othonem, tām
manifestē, tām animosē corruptem
milites, securus quid ageret, ac molire-
tur æmulus, & obsecutus deinde, post-
quam eruperat meditatum facinus, La-
coni ac Icelo, nequissimis consultori-
bus.

bus, non veritate atque judicio, sed odio
atque invidia diversa a Vinio suggestenti-
bus, in publicum processit. Vana &
frigida affectatione gloriolæ ; quasi ho-
nesta tutis præponeret. Est quidem
decori maximè habenda principi ratio :
sed tamen & Reip. consulendum est.
Quæ quia salva, nisi salvo principe esse
vix potest ; non temere se periculo ob-
jicere & honesta sed præcipitia, tutis ac
salutaribus præferre debet. Huc ac-
cedebant ficti rumores, & adulationi fa-
cta obsequia vix ultra verba audentis
turbæ : quibus fiebat , ut securus veri
atque improvidus Galba, maturaret sce-
lus, & manu sua arcesseret fatum, quo
periret. Cui se oportunum fecerat,
postquam remissus ac segnis viluisset.
Quo magis cavendum Principi, ne per
socordiam ac imperitiam contemtum

D a incur-



incurrat. Præcipue si odio & invidia
jam ante fla gret. Tum enim stare o-
mnino non potest. Quocirca navanda
cumprimis opera rerum Dominis, amen-
tur magis, quam timeantur a suis, ante-
ponentes benevolentiam odio: in quo
nihil tuti ac firmi inesse potest. Hæc
enim amor præstare solet. Qui animos
ipsos servire facit. Quod genus obse-
quii, ut fidum, sic diuturnum maximè
est, & tam quietum, quam securum ac
tutum regnum præstat. Nam quid a
sui amantibus Princeps timeat? Nec va-
lent externa arma adversus eum, quem
amor suorum invictum fecit. Ite Prin-
cipes, & cingite latera armatis cohorti-
bus: educite cœlo propugnacula ac mo-
les: quicquid exstruxit humana indu-
stria, destruet: & potest in vos distringi
mucro, qui pro vobis. Hoc munimen-
tum inexpugnabile est, hoc verissimum
tutisi-

tutissimumque præsidium, A SUIS A.
MARI. Omnes metuet, quem metu-
unt omnes: timere nescit, qui dignus
amari.

D I X I.

MARCUS IMPERATOR APUD Herodianum Lib. I.

Ἐντε γάρ χειμάτων πλῆγος οὐδὲν αὐταρχεῖς περὶ τυραννίδος αἰρε-
σιαν; οὔτε δορυφόρων Φραέσοις ικανή πύελος τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ
περὶ παρχοῖς ή τὸν ὑπηκόων ἔνοισε. πολιτικὰ τὸν ἐκεῖνος εἰς ἀρχῆς
μηκος ακινδώως ἥλασαν, οὅσι μὴ Φάθον εὖ ὠμότητος, πόδου
τὸν τῆς αὐτῶν χειρότητος ταῦς τῶν ἀρχομένων φυχᾶς σλέζα-
ζαν. οὐ γάρ οἵ εὖ ἀνάγκης δουλέυοντες, ἀλλ' οἱ μετὰ πειθῆς
τακτάζοντες, ανύποτοι, καὶ εὖ ψολαισίας, περὶ ποιήτου δρῶν-
τες τε καὶ πάρχοντες διατελοῦσιν, οὐδέ ποτε αὐθιδίζουσιν, λι-
μὴ βίᾳ καὶ ὕβρεσι δῆλοι τοῦτων αἰχθῶσιν.

Neque enim aut pecunia vis tyrannidos luxuriam
explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem
possunt, nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti be-
nevolentiamq; accommodent. Quippe iij demum diu tu-
toq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem
ex bonitate civium suorum animis instillant. Neque enim
quos servire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua
quemque voluntas adegit, iij sunt in agendo patiendoq;

D 3

à su-

à suspicione omni assentationeq; vacui: numquamque imperia detrectant, nisi violenter contumeliosq; sint habiti.

DIO CASSIUS LIB. XXXVII.
HISTOR.

Νῦν δὲ καὶ τοι σεφάτῳ οἱ Μιθριδάτης, ἐς πάντα τὰ βασιλικὰ γενόμενοι, γινέγονται οὐδενὶ οὐδενί, εἴτε τὰ ὄπλα, εἴτε τὰ τάλιθη τῶν ἀσηκώων, ἀνευ τῆς παρὸς αὐτῶν Φιλίας ἰχύει· αἷλα καὶ ὅσῳ τὸς ἀν πλείω, μὴ μάρτιοι καὶ παντὶ αὐτῷ ἔχοι, χαλεπώτερα αὐτῷ γίνεται.

Nunc Mithridates, quamvis in omnibus regiis rebus sapientissimus, hoc tamen animadvertisit, nihil neque arma, neque multitudinem subditorum, sine eorundem benevolentia, conducere: quin imò hac ipsa, si fides absit, pecto minus tuta esse, quanto sunt plura.









Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-82982-p0034-9

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-82982-p0035-5

DFG

Pon Zd 6645
[14126]



5b.

VD17





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-82982-p0037-6

DFG

en-
ena-
oris,
gen.
de

Au
O
de
cum in

Typis J



NERI

O

ACITE